



ORATIO POLITICA

De

SUBDITIS,

Auctoritate & adprobatione Amplissi-
mæ Facultatis Philosophicæ

*In celeberrimâ Academiâ VVitte-
bergenfi*

publicè habita

à

CUNONE von Bodenhausen/
Nobil. Brunsv.

XIV. Kalend. April. Anno Epo-
chæ humanæ

MDCCXIX.



WITTEBERGAE,

Ex officinâ Typographicâ

AUGUSTI BORECK.

97



*Nobilissimo, maximè strenuo, variarumq;
rerum bellicarum usu eminentissi-
mo Viro.*

Dn. CRAFDT à Bodenhaus-
sen/ Hereditario in Wülfingroda & Rhadisetz/
Reverendis, Episc. Mogunt. à Consiliis, Asses-
sori Curiaë supremae Provincialis Eisfeldicae,
ibiq; militum Praefecto meritissimo,
Parenti suo filialis reverentiaë
& observantiaë cultu a-
ternùm colen-
do.

*Hoc exercitium Oratorium in debite reverentia
signum dedicat, offert & consecrat*

CUNO à Bodenhausen.



RECTOR ACADEMIÆ WITTEBERGENSIS

WOLFGANGUS FRANZIUS,

SS. Theologiæ Doctor, & Professor publicus,
nec non templi arcis Præpositus.

Egregiam illi merentur.

laudem, qui artium præceptis, veluti Sirenum scopulis, non ita adfixi adhærescunt, ut nullo loco numeroquæ styli exercitationes habeant, & de lautâ rerum præclararum comparandâ supellectile minimè solliciti sint: sed potiùs, quæ aut publicè proponuntur, aut domi leguntur, non cognoscant modò, sed ad usum transferant, & in succum, quod ajunt, & sanguinem convertant, tum differendo, tum dicendo, idq; assidue. Quod facere adolescentem Nobilissimum, & bonis litteris magnoperè deditum, CUNONEM à Bodenhausen/Equitem Brūsv. testari verè possumus. Non enim ingenio solum præstanti, & ad studia apto atque idoneo



doneo, cum insigni morum probitate cō-
juncto præditus est: non discendi modo
cupiditate flagrat, eaq; de causâ in lectio-
nibus publicis audiendis est constanter as-
siduus, privatimq; docentes diligenter
consulit: non sic tantum in disciplinis li-
beralibus versatur, ut eas dumtaxat sciat:
verum etiam ita docentibus Præceptoribus
dat operam, ut disputationum atque
declamationum exercitia minimè negli-
gat. Imò in studio hoc decurrendo eniti
ac contendere videtur quàm maximè, ut,
quam domi sustinet suorum spem atque
expectationem, si non superare, at æqua-
re saltem queat, reversus domum re ipsâ
ostendat. Itaque & nudius tertius dispu-
tationem in Philosophiâ publicè habuit,
inq; eâ doctrinæ, ingenij, memoriæ speci-
mina dedit egregia: & hodie horâ II. fini-
tâ concione sacrâ, in *ἀγορῆς* majore *de*
Subditis habiturus est Orationem. Ad
cujus auscultationem, tum quia argumen-
to insignis est, tum quia eloquio indisser-
ta esse non potest, ut Studiosi frequentes
atque

atque attenti conveniant, maximope-
rè censemus, P. P. Dominicâ Palmarum,
Anno recuperatæ per Christum, salu-
tis cIo Io C XIX.



Ad Nobilissimum ac politissimum
adolefcentem,
CUNONEM à **Bodenhausen/**
Equitem Brunfu.

A *Rdua mens generosa petit, vulgaria*
temnit:

Hinc, non ingenii pondus leve suscipiendo,
O CUNO, splendor generis, gratissime Musis!
Evigilata labore tuo effers ore diserto:
In-simul adjunxti veterum præcepta Sopho-
rum, &

Pugnasti Clariam claro sub Præside pu-
gnam. (rentem
Macte tuo ingenio & Genio! tibi nempe vi-
Laureolam Suadela & dius Apollo para-
bunt.

Johannes Avenarius, Eloquentiæ Ro-
manæ Professor P.

A 3

Est



EST deus, à Claris Genitoribus ordine
longo

Deduxisse genus cum probitate piâ.

Est deus, hoc si quis clarum genus ante
metipse

Condecorasse cupit cum pietate probâ.

Hoc modò, Cuius, tibi (magnum) concessit
utrumq;

Qui finxit, rerum quicquid ubiq; viget.

Gaudeo, quod clara naturâ nominis impleo,

Et geminas animi nobilitate genus.

I pede felici, quo te vocat ardua virtus,

Sacraq; Pegasei numina fontis ama.

Sic Deus altipotens dabit ut nomenq; decoq;

Florescat, crescat, gliscat, & emineat.

Sic Deus astripotens donabit secula longa

Vivere nempè dies Nestoris ille dabit.

Suo cognato & amico fratris instar adamoto
l. mq; adnectebat

Ludolphus à VVerder. Musis, &
Apolline nullo.

ORA-



ORATIO.



Mnes gustandi famæ, (ut sic loquar) medullam cupidos esse, *Rector Magnifice, sacri ordinis viri & Doctores Reverendi, Legitimi operis consultissimi, Medicæ artis Excellentissimi, sapientiæ studii Magistri Clarissimi, mi, proceres & patres Academici Spectatissimi, Domini fautores ac præceptores omni observantia nec non reverentiæ cultu prosequendi; Vosquæ cæteri Auditores Studiosi Nobilissimi, Prestantissimi, Ornatissimi*: Omnes, inquam gustandi famæ medullam cupidos esse: os vero periculi rodere, & sub imperio alterius esse & vivere, neminẽ velle, minimè me errare credo. Nam opilio agricolæ, agricola civis, civis nobilis, nobilis equitis torquati, eques torquatus principis, princeps Regis, Rex Imperatoris locũ semper appetit; id quod experiẽtia abũdè testatur. Imò si ad emendam gloriam sola desideria sufficerent, nihil hæsitans affirmo, majora illa in famulo nostri ævi vilissimo esse, quam unquam in Scipione illo magno fuerunt. Verùm vanitas vanitatum & omnia vanitas: Si enim
altius

altiùs perpenderent, quietè & tranquillè vivere, suàq; sorte & conditione contentum esse, quàm bonum & quàm jucundum esset, profectò statim animum istum elatum, & inanem parvæ gloriolæ cupiditatem ipsos deposituros, magisq; pane quotidiano in pace & vitæ tranquillitate, quàm cibus exquisitissimis multoq; ære paratis, magno sudore & labore, imò ipsissimo vitæ periculo vesci, electuros scio; siquidem illi sine omni obstaculo negotia sua incipere, incæpta ad felicem catastrophem perducere possunt. Hic nemo est qui irritet, nemo qui currentem impediat, nemo, qui ipsi non omnia fausta precetur: Et licet homines mundani ad arcem fastigatissimæ felicitatis ipsum evectum putant, qui multis imperandi potestatem habet & ad serviendum nemini est obligatus, attamen toto cœlo (quod dicitur) errant; si enim intelligerent, quàm dulce sit in pace vivere, certò scio fore, ut maxima tum minores erga majores commiseratione, tum majores erga minores invidiâ afficerentur.

Quocirca quia mihi ab iis, quorum & apud me plurimum valet, & apud omnes peræquè valere debet auctoritas, dicendi potestas concessa est, DE SUBDITIS hic mihi sermo erit; non quod omnia de iis scitu necessaria percensere,

fere, ac flore orationis convestire conarer (quod
suscipere labor magnus atq; intolerabilis esset)
sed pauca quædam seligerem, de quibus hoc
amplissimo in loco vobis audientibus explica-
rem. Illud verò, antequam ulterius prove-
har, à vobis peto, Auditores lectissimi, ut,
quandoquidem omne mihi perfugium in ve-
stra bonitate & benevolentia situm est, te-
nuitatem meam vestro favore & silentio sub-
levetis, quò mea oratio his veluti secundis sub-
vecta ventis, quem sibi propoluit portum, faci-
lius consequatur.

Omnes status hominum, modò quilibet
munere suo divinitus concessio, DEO gratos &
acceptos esse, extra omnem dubitationis aleam
positum est; quemadmodum enim Principum,
Regum & Imperatorum status bonus dicitur,
si rectè illo utantur, nec tyranni evadant, sic ple-
bejorum quoq; status bonus, Deoq; gratus est,
si illo contenti sunt, & in eo tolerantiam præ-
stant. Ne autem subditi sibi imaginentur,
hoc merè inventum humanum esse; ut alius
imperet, alius verò imperio ipsius subjectus vi-
vat; sciant, hoc omne quod subditi Magistrati-
bus debent à mandato pendere divino; Sic e-
nim habet scriptura S. Deum timete & Regem
B honora-

honoratē, Item: Subjecti estote omni hu-
manæ creature propter DEUM, sive Regi tan-
quam præcellenti, sive ducibus tanquam ab eo
missis: Et quamvis in rebus externis & corpo-
ralibus vim aliquam & fraudem erga subditos
exerceant, tamen vim illam injustè illatam
potius sustinere, quàm animos ad illegitimi-
mam seditionem accendere debent, cogi-
tantes DEUM gemitus & ejulatus oppres-
sorum subditorum certò exauditurum atque
à laboribus immoderatis & exactionibus in-
gentibus liberaturum esse. Cujus subjectio-
nis Exemplum videre & legere est de duobus
fratribus Iacobo scilicet & Esavo, sanctis-
simorum parentum filiis, ubi DEUS alterum
eligere, alterum odio habere; alterum impe-
rare, alterum obedire; alterum licèt natu ma-
jorem abdicari; alterum licet natu minorem
primogenituræ hæredem esse voluit. Quod
autem Iacobo & Esavo contigit, idem in fi-
liis Iacobi cæteris & Iosepho accidit, qui cùm
omnes ejusdem patris filij, omnes & fratres
& Patriarchæ, & inter se pares & electi essent;
providit & ordinavit Deus, ut Iosepho, qui mi-
nor erat, reliqui vndecim fratres servirēt & obe-
dirēt; Et id genus similia exempla exstāt in scri-
pturâ

pturâ S. ex quibus obedientia & observantia
subditorum erga Magistratum manifestissimè
apparet. Minimè igitur animo secum volitare
debent subditi, hoc omne absq; providètia Dei
accidere: siquidem ipse solus, alios divites, alios
pauperes, hos sapientes, illos rudes, hos sanos, il-
los ægrotos, hos felices, illos calamitosos, hos
servos, illos Dominos fecit. Deinde etiã maxi-
ma cum utilitate conjunctum est, quando sub-
diti magistratum debito honore prosequuntur,
omnemq; vitã ad nutum ipsius instituunt, vecti-
galia & tributa legitimo more solvunt, id quod
Christus quoq; fecisse legitur, qui jurisdictionẽ
Romani Imperij agnovit, civisq; fuit in Ca-
pernaum, solvit etiã vectigalia ijs, qui id in Iu-
dæa nomine Imperatoris exigebãt. Quod si ob-
servat subditi, Magistratum aliàs austerũ & ty-
rannũ, mansuetum, mitem & placabilẽ reddunt,
sub paticinio quoq; & defensione illius vivere,
& commodis omnibus unã cũ reliquis subditis
frui possunt. Sin minùs, Magistratus amplius il-
los non gubernat, sed perturbat; non protegit,
sed lædit; non resistit hostibus, sed & innocen-
tes illis prodit; nõ Iudex, sed tyrannus; nõ Cle-
mens, sed Carnifex; non amplificator Reipubl.
sed everfor justitiæ; non Conservator legum,
B 2 sed

sed inventor tributorum ; non excitator pro-
bitatis, sed omnis seminator nequitiae existit.
Exemplis res ipsa fit clarior: quis est in literis
tam rudis & imperitus, cui non notum sit
bellum rusticanum? quod nullam aliam ob-
causam ortum, quam quod illi Magistratui ex-
tremè resistentes vectigalia & tributa solvere
recusarent, & ipsi pro suo arbitrio clavum Im-
perij tenere vellent; quo facto summus Magi-
stratus vim vi repellere, contumaces subditos
unâ cum bonis & facultatibus rapere, sternere,
prosternere, vrbes devastare cœpit; unde multa
millia hominum stricto gladio perierunt: quod
malum nunquam evenisset, si Magistratum ad
iram non commovissent, illi quæ debitam obser-
vantiam & obedientiam præstitissent, vectiga-
lia & tributa legitimo more solvissent, imò &
ipsi bona cum pace & vitæ tranquillitate facul-
tatibus & bonis suis uti fruique potuissent. Si et-
iam Historiarum monumenta revolvimus, quam
plurima exempla sese offerunt, quæ multo-
rum subditorum petulantiam, temeritatem,
& audaciam erga bonos Magistratus satis su-
perque testantur, cum tamen illi subditi absque
omni timore & tremore, rerumque suarum e-
molumento vivere potuissent. Inter alia multa
unicum

unicum tantum recensere libet : Exorto sub
Henrico quarto Imperatore Germano, magno
tumultu, multi Duces & Episcopi ab Henrico
Imperatore quarto electo & confirmato defe-
cerunt, inter quos etiam erat Rudolphus Dux
Sueviæ, qui absente Henrico quarto Imperator
proclamabatur, cōpertis hisce Imperator Hen-
ricus cum Rupolpho sæpissimè armis confligit.
In extremo verò conflictu propè Martisburgã
cōmisso, manus dextra Rudolpho abscissa est,
quæ cum ipsi afferebatur, in lecto decumbens
vocem tristissimã extulit, ad Episcopos circum-
stantes hæc verba fecit; Videte vos Domini, hæc
est ipsa manus, qua Imperatori fidem & con-
stantiam pollicitus sum; perpendite nunc an
rectè consultum sit, ab Imperatore deficere, &
fidem religiosè promissam non servare? Quod
exemplum profectò omnes sive supremæ sive
infimæ sortis & conditionis subditi, albo lapil-
lo notare, & in visceribus cordium penetralibus inscri-
bere deberent, considerantes, quantum malo-
rum cumulum, si rebelles contra Magistratum
sint, sibi acervent, & quàm bonum, utile & ju-
cundum sit, in pace & vitæ tranquillitate sub
præsidio & protectione eorum vivere. Quam
subjectionem minori cum difficultate Magi-


stratui præstare poterunt, quando in memori-
am sibi revocant; quantis curis, ærumnis & do-
loribus sese macerent, quantoq; cum periculo
conjunctum sit, Imperium obtinere; multis e-
nim partibus tolerabilius est, animum curis o-
neratum, quàm colla ac pedes ferro vinctos ha-
bere, subditis si boni sunt, catenæ laxantur, Ma-
gistratus verò quò major est, eò graviorib9 ob-
ruitur curis, & præcipuè illi, cui verè cordi est sa-
lus Reipubl. ne punctum quidè temporis quies-
tus est animus; & gravior est animo tristi una
curarum uncia, quàm decem ferri centipon-
dia corpori. Subditi etiam si interdum laborant,
sine cura noctu quiescunt & dormiunt; Magi-
stratus verò diem interpellationes audiendo,
noctem verò indigesta edendo suspiria transi-
git; imò siue bonus siue malus sit subditus, vitâ
ipsius finitâ, pœna finitur, nulla manente illius
memoria; Magistratus verò si probus est, brevis
manet probitatis ipsius memoria, si improbus
nunquam illius occidit infamia. Sed quid mulo-
tis ambagibus temporis jacturam facio, uno
verbo dicam: semper ita fuit, semper est, sem-
perq; futurum est, ut habeat mundus qui impe-
ret, & cui imperetur; qui regat, & qui regatur;
qui gubernet, & qui gubernetur: neq; hîc im-
munem

mūnem sese esse quisquam dicere valet, & remoto hoc ordine, neque societas, neq; civitas, neque regnum, imò nec tota hujus mundi machina consistere potest.

Gaudete igitur ô vos subditi, autorem, inspectorem, protectorem habetis ipsum DEUM, nolite contristari ob austeritatem Magistratus vestri, Deus vos eripiet, preces potius fundite pro ipso, ut Deus meliorem mentem ipsi largiatur; manete constantes in vocatione & statu vestro, & tandem pro laboribus, curis & anxietatibus antlatis & sustentis, mille gaudia accipietis & habebitis.

Hæc sunt, auditores optimi, quæ de *subditis* rudi, quod ajunt, Minerva, & Laconicâ brevitate dicere volui: Quod si minùs doctrinæ vestræ excellenti, exquisito judicio, eruditis atque politis auribus fuerit satisfactum, ingenij imbecillitati, quæ meæ ætatis est propria, adscribatis velim. Quod autem mihi dicenti tam benignas & attentas aures præbere dignati estis, gratias, qua par est, observantiâ, maximas & ægo & habeo, omnemq; operam sum daturus, ut, quamdiu lucis hujus usurâ frui mihi contigerit, tanti beneficij nunquam ex meo animo effluat memoria.

D I X I,



W 1999

[70/98]

ULB Halle 3
001 915 363



56

V3 17 ✓
Retro ✓





70




Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



POLITICA

97

ITIS,

atione Amplissi-
philosophicæ

demia VVitte-
si

abita

Bodenhausen/

unfu.

l. Anno Epo-

anæ

XIX.



RGAE,

pographicâ

O R E C K.

